

230 Ribchester. Their is of it the picture of an naked man ridinge on horsebacke withoute sadle and bridle, houldinge a speare in bothe his handes, the lefte hande before. Under the horse feete lyeth a naked man, his face upward, the horse havinge his nar forefoote upon the mans heade and the man houldeth his right hand up towards the man on horsebacke and in his lefte hand houldeth a square like unto a booke shutt. Betweene the horsebelly and the naked man are these twoe lettres viz:

D M

and under the naked mans bodie, which lyethe from his feete towards his lefte hand, which houldethe the square like unto a booke, are these lettres, as the seemed unto us, viz:

· G A L : S A R M A T A

and under those lettres lower on the stone it semeth their have beene more lettres, which nowe cannot be knownen.

Thom. Braithwaite, 'Lancaster 18 of Ianuarie 1604' in cod. mus. Brit. Cotton Iulius F VI f. 287 (inde Camden ed. VI [1607] p. 615 qui titulum et anaglyphum similiter prorsus, sed brevius, describit; ex Camdeno Just assoc. journ. 6, 1851 p. 233). Apparet titulum fuisse anaglypho solito ornatum positumque *d(is) M(anibus)* hominis alicuius, qui fuit [*eq(ues)*] *al(ae) Sarmata[rum]*.

There is now at Standen, near Clitheroe, a sepulchral stone removed from Ribchester by the late M. Serjeant Aspinall, without inscription, but with a figure in high relief of a Roman standard bearer of the lower empire, with the labarum in his hand.

Whitaker *Whalley* p. 28. Memoravi, ut denuo, si fieri potest, indagaretur et quia probabile est, anaglyphum titulo olim non caruisse. Quod labarum fuisse visum est, fortasse vexillum fuit.

XXII. EBVRACVM,

LEGIO VI VICTRIX

(York).

Ἐβόρακον λεγίων ἡ νικηφόρος (haec enim male ab oppidi nomine seiunguntur in editionibus vulgatis) Brigantum oppidum Ptolemaeo (2, 3, 16), ab historicis memoratur propter mortem Septimii Severi (Spartianus v. Severi c. 19 ubi codices *evoraci* et *aeuoraci* habent; Victor Caes. c. 20, 27; Eutropius 8, 19) et Constantii (Eutropius 10, 1). In itineraio (p. 466, 1. 468, 4. 475, 7. 478, 6) *Eburacum* formam codices optimi habent ubique; eandem servavit Ravennas (5, 31 p. 431, 16) habetque titulus unus (n. 236; cf. infra n. 336), cum alter (n. 248), minus certae ille lectionis, *Eboracum* videatur tueri. Illam autem formam esse praefendam similitudo eiusdem stirpis nominum, Eburonum, Ebuobrigae, Eburoduni docet; alteram Graecanicam putaverim esse et aevi sequioris (cf. praeterea quae de nomine dixit Iacobus Grimm *kleinere Schriften* 3, 175). Colonia dicitur in titulo n. 248 caputque provinciae Britanniae videtur fuisse inde certe a saeculo altero medio militare, fortasse praeter Londinium (cf. supra c. VIII). Docet hoc praeter titulum Graecum, quem posui in fine praefationis, titulorum Eburaci repertorum tam numerus quam gravitas, quae quanquam per se non magna, tamen reliquarum sane Britanniae civitatum superior est. Cum provinciae Britanniae et Augusti numinibus cultis (n. 231. 232) observa legatum provinciae et legatum legionis memoratos (n. 234. 240); item Augustorum libertum aliquem fortasse a rationibus provinciae (n. 232). In castris ibi erat usque ad Hadriani tempora legio IX Hispana, per quam Traianus a. 108 opus aliquod, turrim puto murive partem, extrui fecit (n. 241), cuiusque praeter militum titulos duos (n. 243. 244) etiam tegulae Eburaci eruderantur frequentes. Legionis sextae postea ibi degentis praeter Ptolemaeum et itinerarium (p. 466, 1 *Eburacum leg. VI victrix*) testes sunt tegulae eius item frequenter ibi repertae tituliue militum complures (n. 238. 240. 245. 246. 247), inprimis ii, quibus opus muri ab eius quoque legionis centuriis provectum esse indicatur (n. 242, 1—10). Ex tegulis legionum nonae et sextae sepulcra integra Eburaci reperta sunt, quae nunc in museo ibi servantur. Aliarum vero legionum numerorumve militarium testimonia nulla Eburaci prodierunt, si exceperis praefectum cohortis incertae alicuius (n. 237). Ceterum splendor coloniae non videtur magnus fuisse atque, quoad quidem ex titulis reliquiisque aedificiorum coniec-

tura fieri potest, Londinio inferior. Memoratur (n. 240) templum Serapidis et apud Spartianum in vita Severi (c. 22, siquidem re vera civitas ibi indicata putanda est Eburacum esse, quod probabile est, non certum) templum Bellonae et palatium; praeter numina tam Romana quam extera (n. 231—240) a militibus potissimum culta militesque ipsos, quorum supra memini, semel tantum seviri coloniae nationis Biturigis Cubi mentio facta est (n. 248); tituli reliqui sepulcrales sunt neque saeculo secundo exeunte, ut videntur, antiquiores. Etiam aevo recentiore magistratum principalium, vicarii, comitis, ducis Britanniarum itemque praefecti legionis sextae sedem fuisse Eburaci, quanquam diserte traditum a nullo, per se tamen probabile est (cf. Böcking ad notit. occ. p. 502* 582* 852* ss.). Observanda praeterea titulorum instrumenti domestici cuiusvis generis multitudo Eburaci reperta Londiniensi non aequa quidem, sed suppar; accedunt artis opera, pavimenta tessellata (cf. Drake *Eboracum* p. 24, p. 56, tab. 8, p. 65; Goughs Camden 3 p. 302 ss.), sarcophagi lapidei plumbei lignei, linter in *Calder* fluvio prope *Wakefield* reperta, supellectilis variae exempla permulta.

De titulis inscriptis antiquitatibusque Eburaci oppidi et totius comitatus Eburacensis (cuius tres quattuorve partes distinguuntur *Westriding*, *Eastriding*, *Northriding*, *Richmondshire*) scriptores permulti commentati sunt (nondum vero mihi licuit uti libro recenti Guil. Boyne *the Yorkshire library, a bibliographical account of the books on topography cet. relating to the county of York*. Lond. 1869 8., qui exemplis tantum CL impressus est); e quibus cum fructu consului hos.

1. CAMDENUS ab amico quodam Anonymo, cuius exemplum repperi inter schedas Roberti Cottonis, unum tantum titulum accepit, quem deinde ipse vidit (n. 248); anonymus integriorem, quanquam non integrum omnino, eum vidit quam reliqui; postea periit totus.

2. Mart. LISTER medicus in transactionibus philosophicis anni 1682 titulos Eburacenses aliquot (n. 237. 254) edidit accurate, ut solebat.

3. In iisdem actis etiam Radulphus (*Ralph*) THORESBY titulos duos publici iuris fecit (n. 235. 243); in libris editis, qui ad *Leeds* oppidum pertinent (cf. c. XIX), titulos non rettulit. Sunt autem libri eius hi: Ducatus Leodiensis or the topography of the . . . town and parish of Leedes